



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Formula facultatis, seu deputationis Rectorijs Collegij Sanctæ Mariæ  
Nobilium Mediolani.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

Stesso, nè à i figliuoli, nè à prossimi suoi. Sia dunque la gratia e pace del Signore con tutti voi: e noi vi diamo la nostra benedittione. Dat. &c.

Quod si huiusmodi facultas concedatur Priori generali eiusmodi scholarum, loco eorum verborum: ] Abbiamo ancora voluto elegere Visitatori: &c. [ponatur ita: ] habiamo eletto il Reu. N. Priore generale di dette Scuole nella Città e Diocesi nostra, nella cui opera si confidiamo molto; al quale concediamo facoltà di piantare, visitare, riformare, e fare tutto ciò che sarà bisogno per aiuto delle scuole della detta Dottrina. E perciò p la presente comandiamo, &c.

Quod ad hos Visitatores attinet, illud obiter admonemus, non semper eandem omnibus tribui facultatem; sed habita locorum & personarum ratione, aliquando maiorem, vel minorem concedi solitam.

Formula literarum Missionis oblatorum.

CAROLVS &c. Inter cetera officia, quibus Episcopi oves sibi creditas in viam salutis dirigere debet, plurimum sane ponderis habet atque momenti, perpetuum illud studium & sollicitudo, qua & ipsi, & illi, quorum opera ad animarum salutem procuranda vtuntur, diuersa suarum Diocesum loca circumuehentes, Dei verbum predicant, sanctissima Sacramenta ministrant, aliaque spiritualia exercent. Eamque ob causam nos, cum oblatorum S. Ambrosij Congregationem instituissemus (quibus proposita esset in primis Dei gloria, animarumque nostrae praesertim Diocesis salus) illud sane quidem spectauimus maxime, vt illi omni animi ardore atque pietate hos labores amplecterentur. Itaque te N. oblatum S. Ambrosij mittimus, potestatemque his nostris literis tibi facimus, in omnibus Diocesis nostrae Ecclesijs, Dei verbum predicandi, atque alia spiritualia ministeria, tuique ordinis functiones exercendi: Deumque precamur, vt quemadmodum hae omnes curae atque sollicitudines, ad illius solum gloriam, eiusque animarum salutem diri-

guntur; & ipse tibi eam obedientiae spiritum tribuit, vt haec officia aliquando praestanda alacri animo susciperes: ita laboribus tuis benedictionem suam impertiat; & (quae eius est immensa benignitas) efficiat, vt fructus inde existant vberissimi. Parochos autem, Praepositos, ac Vicarios foraneos in Domino requirimus, vt quibuscunque rebus opus erit ad haec tua officia, operam studiumque suum conferant; eosdemque hortamur, vt cum in parochijs vniuscuiusque illorum eris, te Sacerdotali charitate & frugalitate hospitio recipiant. In illis vero parochialibus Ecclesijs, quae Sacerdote caret, cura Vicarij foranei necessarius tibi frugaliter suppeditetur, ex fructibus beneficij parochialis vacantis, aut ex incolarum loci voluntaria erogatione, aliave ratione, quam ille magis expedire censuerit. Dat.

Formula facultatis, seu deputationis Rectoris Collegij S. Mariae Nobilium Mediolani.

CAROLVS, &c. Dilecto nobis in Christo N. Sacerdote nostrae Mediol. Dioc. salute in Domino. Fides tua, prudentia, ac morum integritas nobis perspecta, facile nos inducunt, vt rebus sacri Collegij nobilium adolescentium, sub tutela & inuocatione gloriosissimae Virginis Mariae extra P. Nouam huius urbis sita, te ipsum praeficiamus. Harum igitur serie, quas ad nostrum beneplacitum valere decernimus, te in Rectore eiusdem Collegij constituimus & ordinamus, regendi que gubernandi, & administrandi, prout e re Collegij esse censeris, tibi facultatem concedimus. Contractus, & distractus quoscunque in utilitatem & commodum ipsius collegij, (nobis tamen in grauioribus consultis) quietantias, & confessiones, vt appellant, etiam publico documento pro receptis & exactis pecunijs, praesertim factorum & stipendiorum ab ipsis adolescentibus collegio persoluentis: Quoscunque in ius vocandi, si quid erit, quod ipsius Collegij interfit, & contra eos de iure experiendi: lites etiam quascunque motas & mouendas prosequendi, & mouendi, ac alia oppor-



tuna agendi, gerendi, & faciendi, tibi fas esse volumus. Scias tamen, de omnibus hanc curam & administrationem respicientibus, suo tempore te ratione redditurum esse. In quorum fidem presentes manu nostra signatas, & per Cellariam nostrum Archiepiscopalem suscriptas, sigilloque S. Ambrosij munitas, fieri iussimus. Dat.

Formula facultatis, seu deputationis Rectoris Collegij Heluetiorum Mediolani.

CAROLVS &c. Dilecto nobis in Christo N. salutem in Domino. Pastoralis officij ratio nos commonefacit, vt omni tempore sedulo in eam curam incumbamus, quae religiosum viuendi modum complectitur illorum, qui Ecclesiasticae vitae rationem sunt ingressi, praesertimque; qui in Collegijs & huiusmodi religiosis domibus nostrae ciuitatis & dioc. Mediolanen. degunt; in quibus iuuentus ad Dei honorem, & animarum salutem recte instituenda & conformanda suscipitur, vt exinde, veluti ex perpetuo quodam seminario copia ministrorum in Ecclesia Sancta Dei nunquam desit. Verum praecipuo quodam modo rebus Collegij Heluetiorum, & Rhetorij huiusce nostrae ciuitatis Mediol. prospicere debemus, cum eius cura, & regimine a prima eius constitutione, erectione & fundatione, a Sanctissimo D. N. D. Gregorio Papa XIII. facta, nobis; & pro tempore existentibus Archiepiscopis Mediolani singulariter demadata sit, prout literis Apostolicis datis Romae Kal. Iunij. M. D. LXXIX. Pontificatus eiusdem Sanctiss. D. Papae anno VI. r. constat. Cum autem hoc tempore opera & solertia viri prudentis, & maxime pij, qui Rectoris munere in Collegio praedicto iam erecto instituto, pro eius bono regimine, fungatur, indigeamus, cuius fidei & integritati negotium tantiponderis concedamus: De tua fide, prudentia, & morum integritate satis edocti, harum serie, quas ad nostrum beneplacitum valere volumus, te in Rectorem eiusdem Collegij constituimus & ordinamus, regendi que, gubernan-

di, &c. vt supra in facultate Rectoris Collegij S. Mariae Nobilium.

Formula facultatis seu deputationis Prioris societatis Virginum S. Ursulae, & Viduarum S. Annae.

CAROLVS, &c. Dilecto nobis in Christo N. salutem in Domino. Cum nobis perfecta sit tua morum praestantia, pietas, & prudentia, ac sacrarum literarum peritia: Harum tenore deputamus te in Priorem & gubernatorem generalem societatis Virginum S. Ursulae, ac mulierum viduarum societatis S. Annae huius nostrae Ciuitatis & Diocesis: cum facultate constituendi seu deputandi, Priorissas, Visitatrices, ac quaslibet earum superiores; & similiter agendi; nec non eis deputandi, ac mouendi confessores tibi bene visos, ad confessiones tamen a nobis approbatos; nec non etiam vt aliquos, qui eas iuxta dictarum societatum regulas in dictis societatibus recipere, ac valere, stabilireque possint; modo tamen ij in dignitate Ecclesiastica constituti sint. Dat. Mediolani &c.

Formula facultatis pro concionatore.

CAROLVS &c. Tibi N. in Ecclesia sancti N. tempore sacri Aduentus vel Quadragesimae concionandi potestatem his nostris literis facimus: illud te admonentes, vt in concionibus tuis rationes serues, quas libello instructionum praedicationis verbi Dei, ex decreto Concilij Prouincialis nostri tertij edito, vrbis, diocesis, ac Prouinciae nostrae concionatoribus tradidimus. Dat. &c.

Formula facultatis ministrandi sacramentum poenitentiae.

CAROLVS &c. Dilecto nobis in Christo Presbytero N. Te, que examine habilem idoneum inuenimus, cui audiendi confessiones munus committi possit, ad sacramenta Poenitentiae in Ciuitate & Diocesi nostra Mediol. ministrare.